

dum versatur animus actionibus continuatis, quæ singulæ dispositiones quasdam ad alias similes post se relinquunt, ab ineptitudine ad bona & propensione ad mala immutatur, & consequitur aptitudinem & propensionem ad bona. Id tamen annotari adhuc meretur, quod culpam quidem & offensam peccatorum conversio omnino & plene aboleat dicto hactenus modo, ea autem quæ peccata habitualia important, non possit penitus tollere conversio, inprimis quantum spectat ad peccatum habituale connatum, quod peccatum Originis dicimus. De hoc enim conqueritur *Paulus* jam conversus, *peccatum in se habitare Rom. VII, 17. 18.* appellat illud ἀμαρτία ἐν πρῶτον, *peccatum firmiter adberens, & undiquaque cingens hominem Hebr. XII, 1.* Sic ut per omnem hominis vitam etiam in conversis *caro concupiscat adversus Spiritum, Gal. V. 17.* Interim tamen hæc peccatorum reliquiæ in conversis dominari, non debent *Rom. VI. 12. Sed amovetur Cor lapideum magis magisque, ut Cor novum & Spiritus novus producat Ezech. XI, 17. XXXVI. 24. Conf. Ezech. XLIX. 31. Jerem. IV, 4. propter verbum, quod auditu perceptum est Cor eorum molle & tenerum fit II. Reg. XXII. 19. Et liberantur conversi & manumittuntur à peccato, ut servi fiant justitiæ Rom. VII. 17.*

§. IX. Quando igitur modo explicato abolita sunt peccata, & fides est producta, absoluta est hominis Conversio. De eo autem Ecclesiam exercuit lis à *Pelagianis, Sem-Pelagianis alisque Heterodoxis excitata*, unde vires ad illam abolitionem peccati & productionem fidei habeat homo in suâ Conversione? Nam Pelagiani quidem negabant connatum illud Habitale hominum peccatum, quod Originale dicimus, sed *parvulos sine ullo peccati Originalis vinculo nasci asserabant. teste August. lib. de heres. ad Quod vult Deum c. ult. plerosq; tamen homines dicebant exemplum primorum parentum imitari, legem Dei*  
trans-